



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

7. S. Cajetanus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

456 VII. Augusti. S. Cajetani.

*venient cum exultatione, portantes ma-
nipulos suos.*

Festum Beatissimi & Sanctissimi
Cajetani Viri Apostolici, & Insignis
Theatinæ Familiæ Patris, ac Funda-
toris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Ecce ! Filius Mariæ ! Ecce ! Frater Iesu !
Filius, quia à die Nativitatis jam à Ma-
tre oblatus est Deiparæ. Frater, qui av-
ram paupertatem, & inopiam rerum a Ma-
tre coelesti hæreditavit cum Christo Iesu,
qui seipsum exinanivit, ut ditaret homi-
nem. Ut S. Cajetanus, sic o dilectem
& nos debemus vivere filii Mariæ, & fra-
tres Jesu : filii exprimendò Mariam in
puritate, & moribus ; Fratres, assumendò
nuditatem Crucifixi juxta Christi moni-
tum : *Exemplum dedi vobis.*

Instructio meritoria.

Et hoc non impossibile. Maria non
deseret filios : Nec Jesus Fratres sibi che-
rissimos. Tales ut nos omni probemus
tempore, Crucifixus perpetuus sit pen-
dulus à collo, nec unquam inter homi-



nes sine Rosario Mariano. Ita ut vive-
re, & mori liceat, Lytanias Lauretanas
nunquam ante cubitum intermittamus.
Beati dormiunt & felices, qui cum Jesu,
& Maria.

II.

O Virum vitæ apostolicæ zelosissi-
mum! Sacrum Ordinem iastituit,
qui abdicatâ rerum omnium (etiam ne-
cessariarum) solicitudine, solis viveret
fidelium eleemosynis, & soli confideret
Deo, & hujus clementi Providentiae.
O quam providè! Nec nos, bone fili!
temporalibûs bonis felicitatem, & op-
tacam, ad quam tendimus, ememus
sanctitatem, nisi contempserimus om-
nia. *Retinacula sunt ista fidei nostræ;*
Projiciamus ergo ornamenta terræ, si
cœlestia optamus. Tertullianus.

Instructio meritoria.

Desunt necessaria! Quid turbamur?
Ad quid murmuramus? Nemo periit
ex nostris fame, siti, paupertate, nec
id nobis timendum. Soli confidamus
Domino! Scit utique Pater noster in
cœlis, quid nobis necesse sit. Ergo, ubi
U ubi

458 VII. Augusti. S. Cajetani.

ubi occurrit defectus vel in viatu, vel in
vestitu, mentem elevemus ad Deum,
Iesu paupertatem consideremus, & nos
contentissimos probemus, in omni de-
fectu gratias agendò per psalmum: *B*e-
nedic anima mea Domino, & omnia
*quæ intrâ me sunt, Nomi*ni Sancto ejus.
Hodie verò ut illustris Theatinorum Fa-
milia viros ulteriùs pariat apostolicas
ecclesias, offeramus omnia totius diei
opera S. P. Cajetano. Dabit & nobis
indigentibus suum, & suorum arde-
tem spiritum.

III.

PRÆCEPTUM Domini est: Quæris
primū Regnum Dei, & Justitiam
eius, & hæc omnia adjicientur vobis.
Intellexit optimè S. Cajetanus. Inven-
mur, quām mirabili Dei vivant pro-
dentiâ hujus dilecti filii. Perversus ei
vivendi modus, quærere primò boas
sæculi. Quæremus, sed haud invenie-
mus pro satietate; Imò cum his Deum
cœlum, omnia perdemus. O perdi-
tionem! & hanc propter nihilum! Quid
stolidius?



Instructio meritaria.

Cupiditas habendi, & possidendi, malum malorum gravissimum. Et cui non dominatur? Quis ille, & laudabimus eum? Supprimere oportet. Quomodo? Exercitio contrariõ. Si insurgat; si denuo cor inflammet, citò sedeamus, & scribamus: *O quām sordet mihi terra, dum cælum suspicio.* Denique ut liberemur, ad elevationem preciosi Corporis, & Sanguinis sub sacrificio Missæ, à Jesu Eucharistico has petamus gratias: 1. *ad icatum horrorem omnis peccati.* 2. *Contemptum perfetum saeculi.* 3. *Mortem omnis improbi desiderii, & seraphinum amorem Dei.* O tempus quām acceptabile ad impetranda dona maxima illud est, dum stat, & orat in templo sacerdos.

**Festum Sanctæ Afræ, Martyris
gloriosæ, & Protectricis Augustanæ
Civitatis potentissimæ.**

EXHORTATIUNCULA I.

Quām verum illud: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.*
U 2